

§ 1. Alterum contra Pontificios : Cùm solius di-
vine sit potestatis, ut ex duabus rebus toto genere
diversis unum Sacramentum efficiatur : neque in
Ecclesiæ neque in Pontificis Romani, neque in cu-
juscunque alterius hominis potestate situm est, Sa-
cramenta condere aut instituere,

§ 2. Sacramentalis autem isthæc signorum Unio,
soli ac uni usui sive actioni, quæ quasi Sacramen-
torum Forma est, à Deo est destinata.

Forma Sa-
cramento-
rum.

§ 3. Unde consequens, cessante usu, cessare etiam
ipsam ordinationem Dei, ac unionem Sacramen-
talem; juxta utilissimam illã Ecclesiæ regulam :
Extra usum nihil habet vim Sacramenti.

§ 4. Impij ergo & blasphemi sunt Pontificij, qui
signa Sacramenti Eucharistici scriniolo inclusa, su-
perstitiosè adservant, circumgestant, adorant.

§ 5. Porro quisquis Sacramentis participat, is
non parte, sed tota eorum participat substantiã :
licet propter infidelitatem multi fructum & effica-
ciam Sacramentorum non percipiant.

§ 6. Neque enim, ut præclare scriptum est ab
Augustino, interest, cùm de Sacramenti in-
tegritate agitur, quid credat; & quali fide
imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum.
Interest quidem plurimum ad salutis viam:
sed ad Sacramenti quæstionem nihil inter-
est. Fieri enim potest, ut homo integrum
habeat Sacramentum, & perversam fi-
dem.

L. 3. cont.
Donat. c.
14.

Gg

Fides